



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. III. Removetur non retractatio peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

peccatum habituale, quamvis differant in modo significandi, in quantum macula exprimit animæ immunditiam, eamque significat immundam coram DEO: peccatum verò habituale magis exprimit injuriosum & offensum DEO: tamen in re significatà prorsus convenire, siquidem ex eodem capite, ex quo peccator est immundus & maculatus, est etiam habitualiter offensus & inimicus DEI.

3. Notandum tertio. Peccatum habituale appellari maculam metaphoricè per analogiam ad res corporales; nam sicuti corpus aliquod dicitur maculatum, quando amittit nitorem sibi debitum per contactum alterius corporis fordidi, v. g. lutii, vel olei, sic anima dicitur maculata, cum per inordinatum affectum, & adhæsiōnem voluntatis ad sensibilia bona [qui est quasi virtualis contractus animæ,] deperdit spiritualem pulchritudinem, ac nitorem sibi debitum, qui, ut loquitur S. D. hic a. 1. duplex est, unus ex refulgentia luminis rationis naturalis, per quam dirigitur in suis actibus; alius ex refulgentia luminis supernaturalis, scilicet sapientiæ & gratiæ, per quam nimirum perficitur in ordine ad finem supernaturalem.

4. Notandum quarto. Quamvis etiam peccatum originale sit habituale peccatum, tamen hoc loco agi de solo habituali personali, quod tamen animam maculat, quamdiu per gratiam justificationis non deletur, ut sup. ex tract. de grat. De hoc porro quæstio celebris est, in quoniam formaliter consistat. Nam primò Scotus in 4. dist. 14. q. 1. docet, consistere in passivâ ordinatione ad subeundam pœnam, sive in relatione rationis resulante in anima propter culpam commissam, quæ quatenus connotat animam, eique est disconveniēns, vocatur macula; quatenus refertur ad pœnam, vocatur reatus seu obligatio pœnæ; & quatenus provenit ex actione divini voluntatis ordinantis peccatorem ad pœnam, sic vocatur offensâ.

Secundò: Lorca docet, consistere in aliqua entitate positiva habituali inclinante in bonum creatum, tanquam finem ultimum: vel, ut Godoyus sentit, in termino positivo morali, quo peccator manet habitualiter difformis legi, conversus in ultimum finem creatum, & aversus à DEO. Tertio: communior RR. cum Vasque docet, consistere in peccato præterito non retractato, seu connotante duplicem privationem, unam condonationis diviniæ, & alteram satisfactionis condignæ. Quarto: communior Thomistarum, quam etiam amplectuntur Salmanticenses hic q. 86. a. 2. n. 6. docet, formaliter consistere in privatione gratiæ sanctificantis, quatenus causata per peccatum præteritum.

§. II.

Refutatur sententia Scotistica.

5. **CONCLUSIO PRIMA.** Peccatum habituale, seu macula non consistit formaliter in obligatione seu passivâ ordinatione & relatione ad pœnam. Ita communis est Scholam Scoti. Probatur primò autoritate SS. PP. Pii V. & Gregorii XIII. qui præter alios etiam hunc ar-

ticulum Michaëlis Bay damnarunt: quòd *trahente actu peccati nihil remaneat, quam reatus & obligatio ad pœnam æternam*: atqui juxta sententiam rejectam post actum peccati mortalitatis anima nihil remaneret præterquam obligatio ad pœnam æternam.

Probatur secundò ratione: Reatus & deputatio ad pœnam est naturâ posterior, quam macula peccati: ergo macula peccati formaliter non consistit in deputazione ad pœnam. Antec. est S. D. in 2. dist. 42. in exposit. textus dicitur: *Quòd macula est medium inter actum peccati & reatum: quasi effectus actus, & fundamentum reatus.* Et constat hæc ratione: quia peccator non est ideo immundus, quia est obligatus ad subeundam pœnam: sed ideo est obligatus ad subeundam pœnam, quia macula peccati est inquinatus.

Probatur tertio. Reatus pœnæ est separabilis à macula peccati: ergo ista non potest formaliter consistere in reatu, sive ordinatione ad pœnam. Antec. probatur: tum quia ablata macula peccati mortalis etiam si auferatur reatus ad pœnam æternam, manet tamen sæpe reatus ad pœnam temporalem: tum quia damnati in inferno interdum augent culpam & maculam peccati, non tamen augent reatum pœnæ, cum sint extralatum merendi, vel demerendi: tum quia si DEUS noller peccatorem ordinare ad pœnam æternam, vel temporalem, adhuc ratione peccati habitualis esset immundus, & abominabilis coram DEO.

Oppones autoritatem D. Augustini in pl. 1. dicens: *Hoc est, DEUM videre peccata, quòd punire peccata.* Unde inferes, ergo sublata deputazione ad pœnam DEUS non videt peccata, & consequenter non sunt. Respondet. Hæc esse idem concomitanter, quia nunquam futurum sine altero; non autem esse idem formaliter.

§. III.

Removetur non retractatio peccati.

CONCLUSIO SECUNDA. Macula peccati, sive peccatum habituale pro hoc statu formaliter non consistit in peccato præterito non retractato.

Ratio est. Macula peccati consistit in aliquo quod est intrinsecum animæ: sed peccatum actuale præteritum non retractatum nihil dicit intrinsecum animæ: ergo non est macula peccati. Major probatur è verbis S. Script. & formis sacramentorum primò adductis, è quibus colligitur sordes, & maculam peccati in nobis permanentes nos ab illa *lavari, purgari, mundari*: que omnia secundum proportionem verborum, prout ex communi Theologorum regula verba S. Script. accipi debent, significant aliquid animæ intrinsecum. Minor quoque probatur: quia quicquid in sententia rejecta importat macula in reo, id quod præteritum, nempe actus peccati: sed iste est extrinsecus peccatori: ergo.

Respondet: Tamest peccatum præteritum non sit animæ intrinsecum physice, esse tamen moraliter intrinsecum, quod sufficit ad explicandos S. Script. textus.

Contrà est primò. Illa moralitas nil potest super

superaddere ad actum præteritum non condonatum, quàm prudens iudicium peccatori imputantis præteritum peccatum, ac si defacto inesset: sed tam istud iudicium quàm fundamentum ipsius est quid intrinsecum peccatori; ergo nondum salvatur, quomodo peccator potius per intrinsecam, quàm extrinsecam denominationem dicatur maculatus.

Contrà est secundò. Quòd verba *S. Script.*, quàm diu nullum obstat inconveniens, sunt accipienda in proprio sensu: sed verba prædicta in proportione verborum significant aliquid non tantum moraliter & affirmativè, sed realiter & physicè intrinsecum: ergo.

Contrà est tertio. Ex eo, quia Rom. 5, dicitur, quòd *charitas DEI diffundatur in cordibus nostris*, rectè infertur, quòd gratia sit donum physicè & non tantum moraliter in anima receptum: ergo pariter, cum *S. Script.* dicit, quòd in nobis sit macula peccati, nos à macula peccati lavari, mundari &c. non loquitur tantum de morali, sed physica quoque ipsius inexistencia.

Contrà est quartò. Forma, per quam peccatum habituale formaliter expellitur, nempe gratia sanctificans, animæ est physicè intrinseca; ergo etiam peccatum habituale debet physicè inesse animæ. Consequentia probatur: forma, quæ per physicam inhærentiam expellit suum oppositum, etiam supponit illius physicam inexistenciam in eodem subiecto, veluti patet philosophicè inducitione contrariorum sive positivorum, sive privativorum: sed gratia sanctificans per physicam suam inhærentiam, & informationem animæ expellit habituale peccatum; ergo & oppositum ipsius, nempe macula in anima non tantum moraliter, sed etiam physicè inesse debet.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Quo posito, cæterisque omnibus ablatis, intelligitur peccatum habituale, in illo formaliter consistit peccatum habituale: sed posito actu præterito, cum negatione condonationis divinæ, & retractationis seu satisfactionis præstita sufficienter intelligitur peccatum habituale: ergo. Minor probatur: Offensa humana, nec non intentio sufficienter intelligitur habitualiter permanere, quàm diu non retractatur: ergo etiam offensa divina, quod est peccatum.

Respondetur negando minorem, & ad probationem assigno disparitatem: nam neque intentio, neque offensa humana tollit aliquam entitatem in anima intrinsecè & physicè inhærentem, sicut facit peccatum mortale, quod tollit amicitiam divinam consistentem in habitu physico

gratiæ & charitatis; ideo offensa humana habitualis bene potest intelligi ratione actus præteriti non retractati, non autem offensa Divina habitualis. Rursus intentio & offensa humana non intrinsecè maculant & sedant animam per oppositionem cum aliquo intrinseco nitore & pulchritudine, quod tamen facit peccatum mortale.

Objicies secundò. Si quis in statu puræ naturæ, h. e. nullis donis supernaturalibus elevata ad finem ultimum supernaturalem, peccasset mortaliter, peccatum habituale nihil aliud fuisset, quàm actus præteritus non retractatus: ergo etiam pro statu præsentis essentia peccati habitualis sufficienter salvatur in actu præterito non retractato.

Responderi potest primò negando consequentiam: nam in statu puræ naturæ peccatum habituale fuisset alterius rationis, quàm in statu naturæ elevata: tunc enim pro forma opposita non habuisset gratiam sanctificantem, & amicitiam intrinsecam, sed tantum favorem DEI extrinsecum: atqui in statu præsentis peccatum habituale opponitur gratiæ sanctificanti, amicitia, & pulchritudini in anima intrinsecè & physicè receptæ: neque aliter, quàm per ipsius infusionem tolli potest. Responderi potest secundò. Cum etiam in statu puræ naturæ peccatum mortale potuisset hominem reddere immundum, adeoque habuisset rationem maculæ, constituendum fore in privatione habitualis conformitatis cum lege, & conversionis habitualis ad ultimum finem; quæ tunc fuisset potissima anima pulchritudo, & probabiliter fuisset aliquod donum ordinis naturalis, quo homo fuisset habitualiter ordinatus ad DEUM super omnia efficaciter diligendum.

Objicies tertio. Idem est constitutum peccati, quod distinctivum; sed peccata habitualia inter se distinguuntur, non per privationem gratiæ, sed per actus præteritos: ergo actus præteritus constituit peccatum habituale.

Respondeo distinguendo maj. Idem est constitutum peccati habitualis, quod distinctivum, si sit distinctivum per modum alicujus importati in recto, concedo; per modum alicujus connotati in obliquo nego maj. sed unum peccatum habituale ab altero distinguitur ratione actus præteriti, tamquam connotati in obliquo concedo; tanquam importati in recto, nego min. & consequentiam. Item, non distinguuntur inter se peccata habitualia propter privationem nudè & solitarie acceptam, concedo; propter illam sumptam cum ordine & connotatione ad sui causam, quæ est peccatum actuale, nego.

ARTICULUS II.

An macula peccati consistat formaliter in aliquo positivo, vel privativo?

SUMMARI A.

1. Excluditur positiva entitas per auctoritatem *D. Thomæ.*
2. Per rationem. *R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.*
3. Paritas de peccato actuali retorquetur.
4. Macula, seu peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis, cum connotatione peccati, à quo causatur.
5. *G g 2*
6. *Privati-*